

- Quas fluvius, quas habet nemus et quas squalida tellus,
 quae scopulis nidos composuisse solent.
- 145 Quis cibus est varius, cantus, color atque volatus,
 penna unguis rostrum mos locus officium.
 Nam zephyri pars has, aquilonis vexerat illas,
 partem et utramque putes signa habuisse sua.
 Sederunt campis acies altrinsecus illis,
 150 et spatium extabat inter utrasque aliquod.
 Inter utramque aciem legatos ire putares,
 qui pugnae aut pacis iura referre parent.
 Interea alterutro paucae ex utraque volabant
 parte, vices complent ista vel illa suas.
- 155 Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis,
 sorte patet: post hanc grandia bella cient.
 Utque diu Poenos inter populumque Quiritum
 currunt legati, donec in arma ruant,
 haud secus inter eas, postquam sat utrimque volatum est,
 160 vi, qua quaeque valet, in fera bella ruunt.
 Ardent ad pugnam volucrum hinc inde manipuli,
 cumque ala ala coit, cumque cohorte cohors.
 Vis est militiae diversa, sed una voluntas;
 quod maior miles, vult quoque parvus idem.
- 165 Nullum opus aut currus, nullum aut habet usus equorum,
 usus abest calibis, spicula nulla volant.
 Pro galea crista est, pro cuspidē rostra vel unguis,
 et sua pro lituis carmina quaeque sonat.
 Ala levis parmam, volucris fert pinnula sicam,
 170 et toracis habet pluma minuta locum.

143 quas nemus habet, quas squalida rura S., Quas fluvius habet et nemus et quas squalida tellus *konj.* BULST — qualide G — 144 scopulis FTG — 145 calor F — 146 pinna G — 147 zephyri G S. D., zepheri F — parsas TG — 150 in utrasque G — aliquot H — 152 iure G — 153 alterutro S., alterutra FTG D., alterutrae H — extraque TG — volabunt F — 154 ista vel ista H — 155 Erigit F — ni nil H — 156 ciunt FH — 157 penos GFH — 158 currant G — ruuant T — 159 Haut H — utrimque uolatum est TH, est *fehlt* S., uolatum est *fehlt* G, utrumque volatu (est *fehlt*) F — 160 quaque quē TG, quacumque F — ualent F — 164 pauus T — 165 aud ... aud T — aut habet usus equorum *fehlt* F, aut² *fehlt* H — equorum G — 166 calibis F, calibs H, chalybis S., calibias T, calibas G — 167 pru cuspidē F — 168 sonant G S. D. — 169 fit F — pennula TGFH D. — siccā TFH — 170 thoracis S. — plumma TH